13

Elektrap
1625

BIBLIOTEKA UNIW. WROCŁAW

Śląsko-Łużycki

BIBLIOTHEK. BRESLAU. UNIVERS.

13

14

PANEGYRICUS
SereniS°

FRIDERICO PALATINO

BOJEMORUM REGI
MAGNO SILESIÆ
DUCI
S. R. I. VIIVIRO
PRINCIPI POTENTIS°

Silesiam in fidem accipienti
dictus,

à

Jona Melidéo Sag. Silef.
Ill^a Aurimontanæ
Rectore.

LIGNICII
Typis Sartorianis.

Auraicus, *similem cui secula nulla tulere*
Induperatorem belli, pacisq; seqvestrum.
Hunc Tiberis *tremit &* Bætis: *hunc* Nilus *apertò*
Deprensus capite, & Ganges *atq;* Indus *adorat.*
Tellus, qvæ aversos non vidit opima Triones,
Hunc veneratur: Javéos *incendit odores*
Malaber: *haut* Sinæ *Dominum erubuere fateri.*
Ipse superbarum Nereus *dominator aqvarum*
Cedit Jure suo. Generosa exinde tropéa
Surgunt, Nassovium *latè attestantia nomen:*
Qvà Phœbus citat, aut lassus deponit habenas.
Qvin Germana *etiam* Libertas Religioq;
Sanctum Assertorem est dubiis experta periclis.
Sparge maris rorem Neptunia Amphitrite;
Vos Nymphæq;, *rosas & amicâ lilia dextrâ.*
Hoc tandem, hoc magni juvenem excitet ingenii vim
Ante annos patriâ virtute inolescere fortem. FRIDERICUS IV. Elect.
Et Pater *exemplum dedit, omne illustre per ævum:*
Unitos qvando sub federa certa Dynastas
Colligit: invictas & dissociabile gentes
Dedocet Imperium. Cur nudum prodimus hosti
Tam certo sævoq; latus? cur stertimus? *inqvit,*
Nec clandestinam prævertimur impete fraudem,
Pontificumq; faces Germana in viscera motas?
Qvi nostris in hiant opibus, sitiuntq; cruorem,
In belli fedus coiere. Hos tendere contra
Est animus. Qvibus & pietas & gloria cordi;
En damus, accipimusq; fidem; mea signa seqvantur. FRIDERICUS V. Rex Boëmiæ.
His unita fuit potior Germania *nuper*
Auspiciis: cujus nunc in te tota reclinat
Summa, reformati, Rex inclyte, *nominis Atlas.*
Tu porrò sanctè Spartam, *qvam nactus es, orna;*
Insistens magni vestigia sancta Parentis.
Scilicet hoc Proavos *imitatus pectore Reges,*
Sperne inimicorum gliscentes fortiter iras:

BIBLIOTEKA UNIW. WROCŁAW
Śląsko-Łużycki
80039/14 Gst

Inq; tuam summissa fidem nova Regna *tuere.*

Jesuitæ *Est locus,* Hesperiam *dicunt, qvà terra dehiscit*
Oceano, nostroq; insulat terminus orbi.
Hic inter valles hirtas, præruptaq; saxa,
Stat lacus horrendus: tenebrosa silentia planctus
Non nunqvam interrumpit, & obtusi ululatus.
Non arbos ibi, nec flores, nec gramina vernant:
Damnatas odere Feræ fuliginis oras
Æternæ: propter necripas Ales oberrat:
Ni faciat dirus feralia carmina Bubo.
In medio patet atra lacu, qvâ exitur ad Orcum,
Janua, sulphureis circummunita favillis.
Hinc, reor, erupit metuendo Bestia *cornu*
Bestia qvâ terris non perniciosior ulla est.
Hæc ductu *emergens* Furiali, *elumbis obatro*
Militis auspicio, *primûm modò serpere visa,*
Mox serpentinâ per vim grandescere prædâ,
Fit Draco, terrificum caput inter nubila condit.
Nec mora, pestiferos enixa est bestia pullos.
Quæ deleniti patrimonia subjuga mundi
Harpyiæ *populantur; & omnia Jura profanant:*
Imponunt vivis: suppilant sonte supremas
Fraude voluntates; doctæ omnes sumere formas.
Nec servare fidem sveta, nec lege teneri;
Intentant Regum *jugulis, scelus, exsecrandam*
Sicam, *qvæ indigno madefacta cruore* Sebasti
Lusitani olim, toties iterata Navarrum,
Et prius Henricum, Franci *duo lumina Regni,*
Arte alias nullâ victos, nec Marte peremit.
Isti Assassini *fructus sunt dogmatis. Illud*
Curia ne qvicqvam notat, & damnata sepulchrali
Urit *scripta rogo: sceleri si Regia cura*
Exstruit ingenti Palatia Dædala luxu:
In qvêis secretò sacretur sica *nefandæ*

Secta.

Si qva fides Fatis, & inexpugnabilis annis
Stat pietatis honos, FRIDERICE, *& gloria facti:*
Non potuere etiam tua, Majorumq; *tuorum*
Extergi merita, & langvente senescere seclo.
Regno dignus eras: regnum nunc Fata dederunt.
Tu memora causam, tibi nosse novissima, Musa,
Atq; remota datum: cælestes unde favores.

In sacros qvando Romana potentia *fasces,* Potentia Rom. Pontif.
Pontificum calcata dolis, per Numinis iram,
Degenerat: mundo potitur meliore Sacerdos
Semivir, emotis qvi legibus omnia turbat:
Servaq; vipereis Regum *terit oscula plantis.*
Tunc qvidam de plebe homines cæpere pudendum
Exsecrare nefas, & debellare superbam
Invicto calamo Latiæ Babylonidos *aram.*
Labitur inde retro, ne qvicqvam robore fultum
Hesperio rudus: neqvicqvam incesta laborant
Lojolitanæ *succurrere vermina sectæ.*
Ast lapsum cautura, atros impexa colubros Tibull I 3 6
Tisiphone *Phlegethonte venit: Romaq; Panopten*
Talibus affata est. Adeone tricorne tiaræ
Cerbereæ imperium potuit nutare? nec inter
Tot super est oculos, Italis qvi pervigil agris
Pellat Atlantiaden? num nostra potentia tardo
Excidit, & Stygius genitor? qvin surge, rebellem
Ure seca paleam, turbamq; exscinde Lutheri.

Dixit, & obscænas qvassavit pessima tedas.
Corripiunt subitò Laterana Palatia flammam, Persecutio Gallica
Immittuntq; suis vicinis: Gallia *tota*
Flagrat, & in fœdum demersat viscera funus.
Qvis truculenta qveat tormenta referre, crucesq;
Atq; rogos, exusta qvibus tot sancta Piorum,
Jehovam *mediis resonantia in ignibus ora?*
Qvis cædes varias, & connubialia dignè

Orgia

Orgia devoveat, Parisini probra Tyranni?
Tunc etenim una dies æqvavit, & altera, qvantum
Non Ponti Rex *ausus erat, nec tristis* Hamanus.
Tunc se civili conspergere sangvine gestit;
Sed satiare neqvit regni furialis Enyo.
Undiq; *sævitum est. Fractis Ecclesia remis*
Sangvine tota natat, jam perpessura supremum:
Ni restinxisset violenta incendia Cauri
Orta Palatinæ felix clementia stellæ.
Auxilia Palatina. *Non secus ac primo cum flores vere flagellat*
Nascentes vis sæva Noti: ponente tumultum
Contractas rursus solvunt subsidere cristas.
Casimirus An. 1567. *Sic,* CASIMIRE, *tuo obventu, reqvietus adorat*
Celta, *Dioscuros, & pulsis tuta procellis.*
Wolfgangus Biponti- *Tu qvoq; collecto, spretis,* WOLFGANGE, *periclis,*
nus A. 1569. *Tu veri vindex Pius, impatiensq; morarum,*
Improbus hostiles perrumpis milite portas.
Cuncta tuis armis sunt pervia. Jamq; dedisses
Sectæ, quas dudum violarat perfida, leges:
Sed tua Fata vetant: & in ipso duriter orsu
Egregii Parcæ convellunt stamina facti.
Fallor, an hæc frustra lætantur funera matres
Gviséæ? certè ultrices ex ossibus umbræ
Desertam instaurant aciem, incenduntq; tumultum.
Sic Phœnicéos reparat rogus instar avitæ
Indolis: & florum de semine vernat imago
Illa eadem plures defuncta subinde per annos.
A. 1576. Ultor adest, *fœdis qvi formidata Tyrannis*
Auspicia intrepidus repetit: cogitq; pacisci
Marte fatigatos duro, & nova fœdera donat;
Ille sacri fulmen belli CASIMIRUS. *Adora*
Divum, Musa, *genus: nec inerti detere venâ*
Ingentes, tanto dignos Heroë, triumphos.
Si fas est: & nostra æqvus Cyllenius audit

Vota: semel redeant liqvidas sub luminis auras D. Condéus Wilh. Nass. Gebh. Truckf.
Josua Borbonius, *cum* Præsule Agrippino,
Uranioq; illo Gedeone. *Hi deniq; lingvâ*
Dicere cælesti poterunt cælestia facta.
Qvid non perpessus CASIMIRUS, *qvando laborat*
Sanctis Romanas agris defendere vepres;
Horrendasq; minas, & inania Vejovis arma,
Et Regum tumidas contundere fortiter iras;
Et pacem mundo donare, piisq; qvietem?
Illum nec crudi repressit perfida Galli
Impietas: Gvisii *nec factio Concilii: nec*
Dira Toletani *rabies terrorq; Tyranni.*
Cœrula cum adversis horrescunt æqvora ventis: Persecutio Belgica.
Et modò per nubes volitant, modo in alta profundi
Subsidunt pave factæ, inter suprema, carinæ:
Officium attonitus desperat navita: nec jam
Cœli usus: mortis sed ubiq; occurrit imago.
Felices, si qvi, fluctu superante, revulsis
Naufragii tabulis credunt redimuntq; salutem!
Sic qvoq; Belgarum *cæpit, liventibus astris,*
Naufraga libertas, inimico errare profundo.
Unus *erat, qvi tunc jactatas æqvore vasto*
Collegit tabulas, tutaq; in sede posivit.
Neqvicqvam infremuit, sic respirare Fideles
Indignatus Iber; *non* Inqvisitio *lætis*
Obstruxit radiis crescentis Barbara Verbi.
Poneret innocuo madidos cùm sangvine fasces
Perfidus Albanus, *sic secum immurmurat.* Et nos Alban.
Novimus invisam DIs gentem, & sacra profana
Comere: sed radice tenus exscindere totam,
Vis major prohibet. Lernæam tollere pestem
Amphitryoniades alter sibi sumat. Acerbè
Movimus hunc lapidem, dum fata tulere: sed altæ
Invidiæ satur infestis excedo ruinis.

Gens inimica mihi Rheno imminet usa secundo,
Aut Bellis positura modum, aut (falsum augurer) (olim
Tarpejas ruptura arces, & federa sacra.
Nec tamen augurerat Cantabricus Hybrida *falsi.*
Finitura feros aderant jam secla labores.

Germanici motus.

Quid memorem constanter itas Germanidos *oræ*
Suppetias? Nec enim studio sufflata Papali
Cum furerent totis incendia bellica regnis,
Expers illa mali. Quoties manifesta petivit
Vis libertatem, semper semota? nefandas
Insidias quoties retudit clementia Divum?
Terrarum Dominos olim servarat amici
Anseris indicium, virtusq; invicta Camilli:

Lud. Pacificò Elect. A. 1532.

Te verò, magnis Germania *læta Triumphis,*
Una Palatini *servat tutela* Leonis.

FRID. II. An. 1546.

Imperii partes ubi distulit emendata
Religio: nec jam Carolus *vultu fuit æquo*
Magnanimus Cæsar: Ludovici *prima coivit*

FRID. III El.

Pax inter partes. Friderici *tuta favore,*

LUDOVICUS IV. El.

Pax etiam, atq; extra felix victoria telum,
Consilium sacra ni repulissent bella, fuisset.

Jo. Casimirus Adm.

Augustana *labant cum federa:* REX, *tuus ista*
Fulcit Avus Proavusq;, *& nostri gloria secli*
Patruus *inprimis magnus. Si vera fateri*
Non piget: in mediâ est Germanide, cordis ad instar,
Hæc Domus, in cunctas, si qva exoptaverit, oras
Et pacem & stabilem circumlatura salutem.
Vicit Alexander *mundum: sed* Julius *Urbi*
Sese infert Patriæ: magnus Cyrus *Astyagéas*
Intervertit opes: aliis aliunde superbi
Nascuntur tituli: sed tu, Friderice, *memento,*
Quantum promittunt, largiri nomina, blandam

Mauritius Nassovius.

Nomina Libertatem *almamq; gerentia* Pacem.
Sufficiunt meritis exempla domestica. Cernis
Quid Pater *&* Patruus *præeat; quid* Avunculus *heros*

Sectæ, qvâ Regum dentes impunè petuntur.
Unicus hic labor, hoc opus est; vincire Papali
Religione animos,: Hispano subdere regna
Europea jugo. *Brutum & crudele tribunal*
Ut Superi oderunt: Acherontica regna movendo,
Sic de lymphato Mundo gens atra Tropéum
Sperat; & in fœdum dare Regia colla triumphum.
Ac toleranda forent tot damna infanda: latebrâ
Si genus invisum Superis mansisset Iberâ.
Solas si insideant Peruvinas *monstra fodinas*
(*Grande nefas licet, hos homicidas imbibere auras*)
Sic, Europa, *tuum fatum tamen æqvius esset.*
Nunc infame malum, hyberni torrentis ad instar,
Exundat: non China, *nec ultima libera* Thule *est.*
Cavisses tantam Germania *provida pestem;*
Exires impunè. Sed in fatalia vergit
Qvisq; suo Genio. *Tandem sociabile virus,*
Cæsaris *indultu, in campos manare* Boëmos

In Boëmiam receptu.

Cœpit: & in primâ summam urbe capessere sedem.
Illa dies labem & vitium Regno intulit: inde
Langvida mortiferam traxerunt membra mephitim.
Humor ut exiles, qvod abortit, aqvosus, in artus,
Deinde vehit vires, & in omni corpore regnat.
Horresco referens, fraudum qvos gnara magistra
Invenit titulos. Qvoties difformia summo
Membra dedit Capiti? Qvoties, si fata dedissent
Consiliis pondus, regni tutela Boëmi
Atq; Fides *uno tegerentur læsa sepulchro?*
Nemo per hanc pestem tandem superesset: in illam
Angelus *ex alto justum nisi stringeret ensem.*
Cum vaga nocturnus delibat ovilia tristi
Ore Lupus: raptis properè gens rustica telis
Urget, & immensis profugum clamoribus hostem.
Ille locum ultorem declinat, & in via quærit

Per deserta novæ ferus invitamina prædæ.
Haut aliter vetitis Lojolitana *propago*
Excedit regnis: tam culta novalia, & hortos
Tam lætas segetes, hosti indignata relinqui.
Interea si qvos extorri credula nidos
Ostendit tellus, venturi nescia fati:
Illa sinu fovet ova mali metuenda draconis.
Alibi pro-scripti: *Expulit angvinum feliciter* Anglia *fœtum:*
Et Scotus Moscusq; *ferox, &* Gallica *virtus,*
Belgia, *&* Hadriacæ *stabilis domus Oceanines.*
Baltica, *cum excideres Sveco,* Rex inclyte, *regno,*
Litora Circéæ maduerunt sangvine sectæ.
Tandem etiam nostros miseratus Jova *labores,*
Infelix primâ lolium suffocat in herbâ.
Hostes & pro-dicores *Sceptri, crudeles Furiæ jugulare Bohemi*
Instituunt, Proceres, *& tollere* Religionem,
Et pacem *&* Regni sacra fundamenta *movere.*
Occupat indignum facinus Deus; Ille, beata
Per qvem stant, & Regna cadunt, cuiq; omnia pa-
Vis fraudum patefacta: armat lex ultima patres: (rent.
Boëmiâ expel-luntur. A. 1618. *Ansa caputq; mali de Principe pellitur urbe:*
Evomit infidos horrenda fenestra ministros:
Justitiâ gaudent, & Libertate receptis.
Inde Bellũ. crude-le. *Nec sic* Cæsareas *pius incola summovet iras.*
Expedit, ut perhibent, pro Majestate, *severa*
Regius *arma furor: gladii dominantur* Iberi;
Et devastatos incendia fæda per agros.
Non tantam Temir *Tartaricus edidit olim*
Stragem: non Italis tam formidabilis oris
Attila: *nec sævo metuendus acinace* Turca:
Qvantum Maura *cohors* Bojos *grassata per agros*
Sævitia Cæsari-ani Militis. *Sevit: in victos nullo discrimine* sexus
Non generis, *non* ætatis *furit improbus ensis:*
Non illibatam nuptæ innuptæq; puellæ

Morte pudicitiam redimunt: ipsa ora parentum
Macerat ante cruor natorum, *qvàm jugulentur.*
Materno *ignaræ rapiuntur ab ubere* proles
In tormenta: secat gravidos *manus impia* ventres;
Corda *venenificos* nondum qvoq; nata *in abusus.*
O scelus! ô rabies Stygiis plectenda colubris!
Mollibus hæc oculis, Cæsar Fernande, *videres:*
Servaret regnum Pietas: *qvæ sola beatis*
Conciliarat Avis, *qvovis potiora triumpho*
Præmia; Olympiacas redolentia præmia laurus.
Illi concessis vicerunt legibus orbem;
Se solâ invictos pietate. Hæc unica virtus
Perpetuò Austriacos Diis *immortalibus æqvat.*
Sed nunc Romano *constringere colla lupato;*
Dissona conficere horrendis cruciatibus ora,
Est pietatis opus. Prius autem Taurica Rheni
Uviferas *Mæotis aqvas sorbebit: & inter*
Mansvescet Siculas citiùs Leo Parthicus agnas:
Qvàm stent juncta simul Pietas *& dira* Tyrannis.
Ferdinande, *tuum fuerat decus esse* Bohemi
Tutorem regni, Imperio, Mundoq; *potiri.*
Majorum id merita, *&* virtus *tua florida poscunt.*
Omnia magna in te: (qvid enim vetat ista fateri?)
Turbida sola Fides, *Philtro corrupta* Papali.
O ignota essent nova diræ dogmata Sectæ:
Cruda nec Austriacæ pietati *immissa* Tyrannis:
Qvàm prona Austriaco *parerent cuncta Monarchæ!*
In cassum qveror. Immeritos jugulare rebelles
Decernis. Nemesis *decretum exceperat: illa*
Qvæ dare materiem crescendi svevit: & inde
Maxima fatali perrumpere forsice fila.
Cum durus supra vires intenditur arcus:
Æris dissultant, abeuntis in aëra, partes:
Luxaq; frustratas effundunt lora sagittas.

Sic nimio insurgens odiosa potentia *nisu,*
Omnia supplantat, per præceps mox abitura,
Vindicesq;, excessum Sortis, luitura ruinâ.
Qvondam omnis solis parebat Regibus Hellas:
Sed pertæsa gravem dominatum, irasq; superbas
Civili regale ferit Diadema Galero.
Tarqvinios *pepulit maculosa superbia: Francum*
Childricum, *& Castellanum truculentia* Petrum;
Necnon Henricum; Fernandum *Neapolitanum,*
Christierumq; *Danum: ast ignavia* Wenceslaum:
Ericum *Svecum petulantia. Qvid vagor extra,*
Austria *bella, tuas oleas: qvibus atra procella*
Sæpius incubuit? Vobis qvoq; culpâ alienâ
Abstulit Helveticos *impacta injuria* Tello;
Mattiacosq; *agros* Albani *infame macellum.*
Num qvid in extremis magni Fortuna Rudolphi
Nutat: & egregiis aliqvid tamen obstrepit annis?
Pannoniâ *vertente suas, â* Fratre, *(nefandum!)*
Huc vires, Regno exuitur suprema Potestas.
Si qva tamen superest Defunctis functio: gaude,
Dive Rudolphe: *illum tua dudum est umbra superstes*
Ulta virum: *&, nisi me fallunt præsagia, tecum*
Austriaca *illa uno posita est* Fortuna *sepulchro.*
Qvo feror? immensum prope dispaciata per æqvor,
Tantorum casus hominum sectata Thalia *est.*

Varia studia *Sunt tamen interea, qvi vota benigna* Tyrannis
Auscultant; Bojosq; *sinunt in sangvine mergi.*
Pectus inhumanum qvo, nescio, sidere natum!
Sunt qvi lege volunt examina pulsa Luporum
Restitui. Vario inde odia exercentur amictu.
Qvid non Mortales, sceleri nisi præmia desint,
Aut saltem prætextus, in hanc peccare, vel illam
Conantur partem? Discincta Licentia, turpis
Ambitio, Falsum, lymphata Superbia, Livor

Fædaq;

Fædaq; Perfidia, Impietas, & dira Tyrannis,
Et qvæ sunt ipso monstra horridiora inferno,
Religionis amant se Mundo ostendere peplo.
Religio infelix tegmen Mortalibus: illud
Vidi millenas scelerum usurpare fenestras.
Vos qveis Religio *curæ est, &* Patria Virtus,
Germani Proceres, *memorem his advertite mentem.*
Hactenus haut uno est agitata Tragœdia nixu.
Primus in Hungariam *cecidit, sed segniter, actus:*
In Bojos *alter. Dives qvoq;* Julia *clarum*
Europæ *attonitæ jussa est præbere theatrum.*
Ni sacra rupisset summus tentata Choragus:
Dudum supremo lugenda catastropha busto
Finisetq; Fidem Libertatemq; *decoram.*
Justis hæc oculis, FRIDERICE, *tueris: & ampla* Fridericus Rex
Atrocem prohibes portendere Regna *ruinam:*
Optatam pacem populis, & sacra reponis
Illibata annis, divini assertor honoris:
Nil veritus, qvid Cæsareæ; Regumvê *feroces,*
Intumuisse minæ, narrentur: nulla frementis
Fulmina Pontificis, *nec iniqva exempla moratus:*
Huc ades, huc ardens virtus magno impete fertur.
Inclyta Majorum *repetentem exempla suorum*
Inflammant animum, jam sponte in grandia pronum,
Patria Fortuna *& faustis* Victoria *signis.*
REX pie, sancte, potẽs, REX inclyte, maxime salve!
Exoptatus ades! tibi ridet seqvior annus:
Mitescuntq; tuâ glacialia tempora luce.
In te festivæ moverunt carmina qvercus:
Solvunt Elysiæ *se votis* Oppida *terræ*
Adventum lætata tuum: submissus adorat
Odera *majorum splendentia signa Deorum.*
Ingredere optatus! Cernis confessa tuorum
Et desideria, & vivacia vota. Parente

Absente

Absente est malè tuta domus. Balantia mœrent
Agmina, ni Pastor præstò est, vicina periclis.
Cernis, ut immanes inimicet turbine nubes
Auster; *& horrisono turbentur cuncta tumultu.*
In funesta novi conspirat semina belli
Infestus Boreas. *Niveum jugulare* Leonem
Immites quærunt Aquilæ. *Subducite nidos,*
Ingruit imber, aves: teneros defendite pullos.
Nam ferus observat pavefacta sedilia Vultur.
Felices pullos, *pia quos sub tegmine* mater
Servat, thesauri vitâ potioris ad instar!
Non illos duri premit inclementia Cauri,
Caucaseumve gelu, nec Hyperboreus pirata
Accipiter: sed tuta quies, & copia rerum
Afflat, & innocui custodia libera nidi.
Ingredere ô Heros, *defecti nobile secli*
Solamen, Bojæ imperterrite Iosua gentis:
Ingredere; & passis pullos tege Regius alis
Excubitor: defende hostes Arisq; Focisq;:
Perstringat terras blandi præsentia vultus:
Atq; exempla novæ condat frugalia vitæ,
Divino exortu; moresq; emendet iniquos.
Es tutela tui populi, spes unica: Salvo
Te veniente, Salus, Pax, Gaudia, Vita redibunt.
Quæ speranda, monet jam dudum mite secundo
Augurium *cælo. Cecidere superba cruenti*
Ausa Ducis: *ducta infractum mora proterit* Hostem.
Auxilia *expediunt vicini commoda* Reges:
Et tot nobilium Regionum *unita potestas.*
Imò Deus *justis aderit conatibus: ille*
Primo Ecclesiolam *qui conservavit ab ævo,*
Noverit & sanctam posthac defendere causam.
Quid Soceri *pia cura tuis indulgeat ausis.*
Noverit & præsens, & abhinc memoraverit ætas

Jacob. magnæ Britanniæ Rex

Postera:

Postera: cùm seris leget hæc miracula fastis.
Hic ille est, primum quem magna Britannia *Regem*
Et venerata patrem, DIs *immortalibus addet:*
Intereaq; sui fruitur secura decoris.
Hic ille est, adito qui immensa pericula Regno
Cælesti vicit virtute: olim eloquii vi,
Occupat armatum nudus, reprimitq; Latronem.
Pulvereas quoties Furias vitavit: & inter
Lubrica compositum catus illectamina funus?
Hic ille est, Cytharâ cui cedit Phæbus Apollo
Aureaq; Aoniæ *summittunt plectra Sorores.*
Anglicus hic Regum Phœnix, *virtutis amœna*
Effigies: uno (complectar singula) vultu,
Et Solonis *& alta* Themistoclis *ora renident.*
Defensor Fidei, *perpes tutela Bonorum,*
Doctorumq; decus, venturum in sidera lumen,
Ingenium Fortunam & fessæ munera Famæ
Antegressus, in altum adigit vestigia Olympum.
Hic tandem charos è te, Rex magne, Nepotes,
Regia *quos* conjux *mundo dedit ornamentum,*
Florere & patriâ *&* virtute *videbit* avitâ.
Cum veheret placido nova Nupta Britannica Rheno:
Cæruleo hirsutum caput extulit ille profundo:
Et sic ora senex dudum requieta resolvit.
I pede felici, Divûm *genus, altera mundo*
Elisabetha, *novo faustis sociata marito*
Omnibus: Britannæ *heres generosa coronæ:*
Mox sceptro potiundà novo. Tu sideris instar
Inter Teutonicas *radiabis florida matres:*
Prole Palatinos *Regali auctura Penates.*
Illa domus patrona *mei, tutorq; fluenti,*
Hactenus egregios & magnanimos Heroas
Edidit; & post hac longo ordine sera nepotes.
Ex te nascetur, nova qui mox secula condat:

Elisabetha Anglica.

Rheno.

Roma-

Romanumq; æqvis componat legibus Orbem,
Terror Pontificis, sectæq; ruina Latinæ.
Jam video in Sobole redivivum, bella gerentem,
Fridericus Elect. A. 1462. *A qveis nomen habet,* FRIDERICUM: *victor in arce*
Qvi sacros *teneat* Proceres, *sine pane, coactos*
Neqviter obtritæ segetis luere hostica damna.
Rupertus Imp. *Jam video emeritâ fulgentem pace* Rupertum,
Qvi gerat Imperium. Video qvi ultricia signa
Inferat Ausoniis; *& qvas dedit impia Roma,*
Turbas deponat, Germani sangvinis ultor.
Ludovicus Imp. *Qvalis erat divus qvondam* LUDOVICUS *in armis*
REX *pius & felix, labente novissimus* Heros
Imperio: Austriacus *cui vincula debuit olim*
Æmulus, *in qvinto certamine præda triumphi;*
Turbidus Helvetius, *discors qvoq;* Belga *qvietem.*
Hic Gvelphos *domuit:* Romam Jtaliamq; *subegit:*
Romanumq; *suâ turbavit sede* Tyrannum;
Et simul officio: genuini splendidus auctor
Concilii; *expediit trabeati sceptra* Qvirini
Pontificum spinis: socialia contulit arma,
Si memini bene, tunc Edvardo Bavarus Anglo.
Hunc imitata Ducem, tua qvondam, Dia puella,
Posteritas, *toti testatum fecerit Orbi:*
Qvàm felix Mundo geminæ conjunctio Stellæ
Sponsa Palatino sociata Britanna Marito.

PANEGYRICUS
SERENIS. ET POTENTIS.
PRINCIPI ET DOMINO
DNO.

FRIDERICO
REGI BOHEMIÆ,

COMITI PALAT. AD RHENUM
S. R. I. PRINCIPI
ELECTORI,
DUCI BAVARIÆ, MARCHIONI MORAVIÆ, DUCI SILESIÆ, ET LUCEMBURGI, MARCHIONI UTRIUSQ; LUSATIÆ,
CUM HOMAGIUM A PROVINCIIS INCORPORATIS SUSCIPERET
DICTUS
A
BERNHARDO GVILIELMO
NÜSLERO SILES.

LIGNICI
Typis Sartorianis.